



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1628. usque ad annum 1634

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1778

VD18 90118871

§. 44. Deditiones leges a Senatu Regi propositæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67394](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67394)

„sum hortaretur, nec tum Senatus suis Sæc. XVII.
 „partibus defuturus esset:„ mox Lu- A. C. 1632.
 therani cives Senatum urgebant, ut
 ejecto præsidio urbem Suecis dederet.
 Ipse etiam Rex Senatoribus denuo in-
 stabat, ut confestim præfidiarios dimit-
 terent, eo quod hi intus numerosæ Pro-
 testantium civium multitudini, foris
 autem victorioso Regis exercitui resi-
 stendo impares essent. Paulopost Re-
 gis Legatus in urbem admissus, cum
 Bavaræ legionis Tribuno Ottone Hen-
 rico de Fugger de Urbis ditione ege-
 rat, eademque pene hora Senatus
 Schellenbergium, Welferum, aliosque
 duos Senatores ad castra ablegabat,
 qui cum Rege paciscerentur. Hos ve-
 ro utpote Catholicos Rex audire de-
 dignatus, Lutheranos quoque adesse
 voluit, quorum in hac pactione potis-
 simum interesset.

§. XLIV.

Deditionis Leges a Senatu Regi pro-
positæ.

Tergiversabantur Lutherani, suos Le-
 gatos Catholicis jungere; privatim
 enim sua cum Suecis consilia cuden-
 tes caussabantur, nihil suarum rerum
 hac pactione agi.

Sæc. XVII.

A. C. 1632.

Quoniam vero Gustavus Rex pacis
 renueret, nisi prius Cæsareus miles
 urbe excederet, hinc Tribunus cum
 Rege agebat, ut cum honore militari
 missionem obtineret: Annuente Rege
 Fuggerus die vigesima Aprilis cum suis
 Ingolstadium perrexit, inspectante
 Rege, qui Bavaros milites his verbis
 laceffiverat: *mei rustici, quid vobis cum
 armis? ad sivism abite & agros vestros
 colite.* Eadem die Augustani Oratores
 Catholici Gustavo sequentes propone-
 bant conditiones. I. Salva sint urbis
 privilegia, ac immunitates. II. Ne
 Ecclesiasticis nec civibus, aut alienigenis
 ad urbem confugientibus molestia
 inferatur. III. Ecclesiæ, Monasteria,
 Collegia, necnon Clerici omnes ac Re-
 ligiosi, penes sua jura, locos, sacra
 ædes, proventus intra extraque Au-
 gustanum pomerium, necnon Catho-
 licis universim omnibus ac singulis
 Religio, ejusdemque exercitium citius
 perturbationem permittantur. IV. Ci-
 vitas Augustana, omnes incolæ, Cleri-
 ci intra & extra mœnia, necnon
 res in urbem receptæ, a flamma rapi-
 nisque sint exempta. V. Sacris hono-
 ribus, profanisque omnibus, qui
 curitatis causa alio discefferunt, ad
 postliminio revertendi jus fasque sit
 si vero Clericus, laicus, civis, incolæ

convena, aliorum vellet transferre Sæc. XVII.
 domicilium, id ei liberum sit: citra A. C. 1632.
 tamen tributi tali re ab antiquo pendi
 soliti imminutionem. VI. Veteranus
 miles, qui pro civitatis quiete est aucto-
 ratus, sub ejusdem signis, ac stipendiis
 suam stationem retineat. VII. Sena-
 tus Catholicus, & cives Augustanæ
 Confessionis, tam in iis, quæ ad Re-
 ligionem, quam quæ spectant ad sta-
 tum politicum, in eam conditionem,
 quam annis superioribus tenuerunt,
 reponantur.

Porro Oratores Lutherani ad has
 condiciones altum tenebant silentium,
 suamque sententiam proferre rogati, re-
 ponebant, se habere secreta, quæ cum
 solo Rege conferrent. His auditis haud
 ultra de firmandis deditionis legibus
 agebatur, sed Catholicis cuncta Regis
 arbitrio ac clementiæ relinquere jussis,
 eadem adhuc die Sueciæ legiones per
 rubram, ut vocant, portam sine omni
 repugnantia in urbem admittebantur.

§. XLV.

*Senatus Catholicus a Sueciæ Rege
 exauctoratus.*

Die vigesima prima Aprilis Gustavus Lotich. l. c.
 ex castris suis literas ad Prote- S. 3.
 stantes Senatores dedit, vi quarum om- Brachel. hist.
 nes pag. 210.

M m 3